



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Sita Virgo. 27. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

in undis corpus monstrat. Ergo illi cum piscatoribus ita convenit, ut quidquid demum prehensum id loci verriculo esset, suum esset. Mox BASILEVS extrahitur, non jam minutus capite, sed planè integer. Una tantùm & illa rubea linea ornabat, non inficiebat cervicem, ut Glaphyra è Servatoris sui collo præmium, monile hoc videatur suspendisse. Ex Surio.

*Habet acies Christiana potentes munitiones & arma victricia; Deo scilicet instruente milites suos, ut spiritu veritatis mansuetudo iram, largitas avaritiam, benignitas extinguat invidiã. S. Leo s. 7. de Jejun. 10. Mens.*

S. SITA VIRGO. 27. Aprilis.

**P**Rope Lucam in Hetruriã nata SITA servitutum Fatinellorum familiæ, imò verius egenis servivit. Nam his ferè suum victum cessit, & quod unum in servã supererat opis, pro mendicis quotidie apud dominos mendicavit, præclaram mercaturam dictitans (& mercatores erant) ingens cælum tantillo emere. Et verò liberali dextræ, cum nihil aliunde suppeteret, Numen suggestit. Ita sitienti rogatori cum aquam se porrexisset crederet, vinum propinavit. Alteri cum fabas vendendas gratis dedisset, nihil tamen dominus superveniens abesse comperit, mensuram cælo, ut promiserat, remetiente. Vestem quoque pellibus subductam, & commodatam ab hero, nudo ipsa commodavit. Nec fefellit. Retulit hic cum irasceretur Herus SITÆ, & ex oculis disprens docuit, nulli securius rem credi, quàm cælo. Alias deprehensa panis reliquias miseris ferre, quò oculos dominorum falleret, tantisper in flores vertit, gratissimos deinde esurientibus odores. Suum verò, hoc est, vir-

virginitatis florem, quem à teneris intactum in  
tumulum etiam salvum intulit, precibus & jeje-  
niis fovit, lacrimis rigavit, nec lecto, sed quæ ho-  
ribus amica est, terrâ deposuit, nec dubitavit  
quandoque procacem servuli petulantiam ungui-  
bus notare, itaque vel invitum verecundum face-  
re. Nudis pedibus ad sacrata loca euntem multa  
miracula comitata. Quid? quòd domum redeun-  
ti sub noctem comes è cælo delapsa MARIA ivit, &  
pontis urbisque portas reclusit. An dubitabimus  
ergo Cœli januam viventi SIRÆ tam propitiam  
morienti paruisse? Ex Bzovio, 13. tom. Ann. Eccl.

*Succincti lumbos mentis castam & sobriam vitam  
in Dei timore ducamus, nec concupiscentiis carnis men-  
ticipatûs sui oblita consensiat. Brevia & caduca  
sunt terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad eternita-  
tem vocatos à semitis vitæ conantur avertere. S. Leo  
ser. 2. de Ann. Alf. suæ.*

## SS. THEODORA ET DIDYMUS

MM. 28. Aprilis.

**F**Abulam damus, dum vivimus, alius alio pul-  
chriorem: pulcherrimam DIDYMVS & THEO-  
DORA dederunt. Hęc dum parvulum tyrannum A-  
morem fugit, in majorē alterum Maximinum Imp.  
incidit. Jubetur aut fidem, aut virginem ponere.  
Quid ageret? Martyr moreretur, non virgo? Vir-  
go viveret, non Martyr? placuit virgini Martyrem  
fociare. Abripitur in cellam infamem: sed primus  
DIDYMVS irruit in militis personâ vultum aman-  
tis præferens: instruitur elegantissima scena: mu-  
tantur vestes: sub milite evadit virgo: sub virgi-  
ne miles deprehenditur. Sed nunquam magis illa  
virgo, quàm cum sic miles, nunquam magis iste  
vir,